

Amicitiarum societas ad opprimendos Julii Cæsaris interfectores inter Triumviros, Octavianum, Antonium & Lepidum, coaluerat. Sed quoties illorum animi disilierunt? Certe non raro pugnas inter se conseruissent, nisi Mæcenas inter disidentes pacem legationum industria conciliasset. Cumq; Augustus inaudisset, populum Romanum tumultuoso strepitu omnia miscere, & seditionum turbinibus atrociter exagitari, Mæcenatem misit, qui summa virtute atq; incredibili celeritate pacem composuit. Nihil dicam de multis aliis legationibus, quas ille pro Cæsare diligenter fideliterqve obiit. Parili ratione Patriæ Patres Optimi Maximi SCHONBERGIO complures demandarunt legationes, quarum nonnullas recensabo. Aliquoties Academiae Jenensis lustratio fuit instituenda; missus est SCHONBERGIUS, qui opus gravissimum aut adjuvaret aut moderaretur. Deliberandum fuit cum Statuum Saxoniae Superioris Circuli Oratoribus, Lipsiæ congregatis; iterum, iterum, iterumqve allegatus est SCHONBERGIUS. Incidit ardua tractatio Mulhusii condicta; rursus missus est SCHONBERGIUS. Feuda Ducatum Gothani, Altenburgensis & Coburgensis ab invictissimo Cæsare, nomine Serenissimorum Principum FRIDERICI, ALBERTI, BERNHARDI, HEINRICI, CHRISTIANI, ERNESTI & JOHANNIS ERNESTI, Viennæ solenni ritu fuerunt accipienda; quis allegaretur alius, quam SCHONBERGIUS, multoties felicissime allegatus? Judicetis igitur, *Auditores*, quarum laudum ornamentis excelleret SCHONBERGIUS. Nam neque tot legationes arduæ illi fuissent commissæ, neque commissas tanta administrasset felicitate, nisi omnium dotium copia, quæ Legati partes perficiunt, abundasset. Nullum hominibus in terra majus obtingit bonum, quam religio sanctiorqve Dei cultus; Et post religionem nihil utilius, nihil jucundius, nihilqve honestius, quam literarum studia. Curare autem, ut utrisqve suum constet decus, & una cum religionis puritate literarum vigeat humanitas, quantam meretur laudem, quibus titulis est deprædicandum? Quod *Mæcenas* ethnicæ superstitionis rationem non habuerit, nequaquam nobis persvaderi patiemur. Non enim ignoramus, quanta animorum contentione gentiles saniores rem divinam fecerint; quanto de astros suos studio ab omnibus hostium furoribus defenderint; quamqve sedulo omnes atq;

fin-